

QUAESTIONES DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS LAICORUM

SUMMARIUM: I. Notio et problemata officiorum laicalium. II. Problemata theorica: 1. Quaenam sunt officia laicalia? 2. Habeturne praesumptio generalis naturae laicalis officiorum in Ecclesia? 3. Habeturne realitas quaedam aliquorum officiorum, quae functionem instituti iuridici officii in Ecclesia magis et strictius quam alia adimplent? 4. Quaenam sunt functiones principales speciales officiorum in Ecclesia? III. Problemata practica: 1. Quibusnam categoriis iuris laboris civilis respondent officia ecclesiastica? 2. Recipitne Ecclesia in praxi propria hanc distinctionem? 3. Habetne aliquod momentum practicum notio officii ecclesiastici praesertim quoad laicos? 4. Quae sunt elementa novae dispositionis systematicae functionum et munerum fidelium in Ecclesia? IV. Considerationes finales.

I. Notio et problemata officiorum laicalium

Iuxta novam definitionem officii ecclesiastici in can. 145 datam etiam laici assumi possunt a sacris pastoribus ad illa «*officia ecclesiastica... quibus ipsi secundum iuris praescripta fungi valent*» (can. 228 § 1). Immo, haec habilitas in can. 228 § 1 sub titulo *De obligationibus et iuribus christifidelium laicorum* in Codice expresse enumeratur¹.

Ut notum est, Concilium Vaticanum II verbo officium in variis sensibus utitur². Pro nostra materia

¹ Etsi haec capacitas haud ius subiectivum sensu stricto appellari potest (cf. P. ERDÖ, *Il senso della capacità dei laici agli uffici nella Chiesa*, in *Persona y Derecho. Suplemento Fidelium Iura* 2 [1992] 175), sub hoc titulo in Codice invenitur.

² Cf. P. ERDÖ, *Ministerium, munus et officium in Codice Iuris Canonici*, in *Periodica* 78 (1989) 422-425.

haud parvi momenti est, quod Concilium intentionem habuit mutandi definitionem officii ecclesiastici sensu stricto can. 145* Codicis Pio-Benedictini sumpti. Ut ex actis synodalibus eruitur, propositio pro parte hac de re agentis textus decreti Presbyterorum Ordinis erat sequens:

«Officia deinceps intelligenda sunt quaelibet munera stabiliter collata in finem spiritualem exercenda, in iure enim Codicis Iuris Canonici officia sensu stricto illa tantum sunt munera stabiliter collata [sic!] quae aliquam secumferunt participationem potestatis ecclesiasticae sive ordinis sive iurisdictionis "can. 145": votum ergo exprimitur ut latius accipiat officium»³.

Concilium igitur novam definitionem technicam officii ecclesiastici praebuit⁴, nempe *«Quodlibet munus stabiliter collatum in finem spiritualem exercendum»* (PO 20). Haec autem definitio possibilem reddidit commissionem officiorum ecclesiasticorum etiam laicis⁵. Haec officia non erant quidem officia ecclesiastica sensu stricto sumpta veteris Codicis, sed nomen officii obtinuerunt. Agebatur ergo de nova regulatione usus loquendi, quae pro effectu habere debebat novam praxim pastorem, facto theologico aequalis dignitatis omnium christifidelium (LG 32 d,

³ *Acta Synodalia Sacrosancti Concilii Oecumenici Vaticani II*, III/IV, Typ. Pol. Vat. 1974, 240 (Relatio de singulis propositionibus. De propositione N. 10).

⁴ Cf. O. ROBLEDA, *Innovationes Concilii Vaticani II in theoria et disciplina de Officiis et Beneficiis Ecclesiasticis*, in *Periodica* 58 (1969) 175-179.

⁵ Specialiter hanc novitatem efferunt ex. gr. O. ROBLEDA, *Iurisdictio - officium ecclesiasticum*, in *Periodica* 59 (1970) 684; F. DANEELS, *De subiecto officii ecclesiastici attenda doctrina Concilii Vaticani II* (Analecta Gregoriana 192), Roma 1973, 85-86.

c) et eorum vocationi ad actuosam participationem in triplici munere Christi et Ecclesiae exercendo magis respondentem (LG 31 a).

Quando postea novus Codex Iuris Canonici definitionem officii ecclesiastici dedit⁶, dixit tantummodo officium ecclesiasticum esse «*quodlibet munus ordinatione sive divina sive ecclesiastica stabiliter constitutum in finem spiritualem exercendum*» (can. 145 § 1). Disciplinam tamen veterem officiorum ecclesiasticorum Codex vicens haud substantialiter mutavit, nec quoad provisionem, nec quoad amissionem. De exercitio officiorum autem pauca principia generalia statuuntur (praesertim in can. 145 § 2). Oriuntur ergo novae quaestiones, velut: 1) Quaenam sunt officia laicalia? 2) Habetur praesumptio generalis in favorem naturae laicalis officiorum? 3) Habetur realitas quaedam aliquorum officiorum, quae functionem instituti iuridici officii in Ecclesia magis et strictius quam alia adimplent? Et subordinate: 4) Quaenam sunt functiones principales speciales officiorum in Ecclesia?

Aliud genus quaestionum est ordinis practici. Huiusmodi quaestiones respiciunt praecipue relationem dispositionum canonicarum cum iure civili. In secunda parte nostrae elucubrationis tales quaestiones examini subiicimus, particulari respectu habito ordinis iuridici Reipublicae Hungaricae. In hoc

⁶ De notione officii in novo Codice vide ex. gr. V. DE PAOLIS - A. MONTAN, *Il primo libro del Codice: Norme generali (cann. 1-203)*, in *Il diritto nel mistero della Chiesa*, I, ²Roma 1986, 217-438; 402-429; F. COCCOPALMERIO, *Note sul concetto di ufficio ecclesiastico*, in *La Scuola Cattolica* 116 (1988) 60-73; ERDÖ, *Ministerium* 429-432; C. REDAELLI, *La curia diocesana: natura e articolazioni (cann. 469-474)*, in *La Scuola Cattolica* 120 (1992) 176-182.

contextu responsionem quaerimus quaestionibus velut: 1) Quibusnam categoriis iuris laboris civilis respondent officia ecclesiastica? 2) Recipitne Ecclesia in praxi propria hanc distinctionem? 3) Habetne aliquod momentum practicum notio officii ecclesiastici, praesertim quoad laicos? 4) Quae sunt elementa iure vigenti et praxi Ecclesiae hodie iam fundata, quae novam dispositionem systematicam functionum et munerum fidelium in Ecclesia permittunt?

II. Problemata theorica

1. QUAENAM SUNT OFFICIA LAICALIA?

Codex Iuris Canonici vicens expressione *officii laicalis* non utitur⁷. Nec requirit, quod officium ecclesiasticum secumferat semper participationem ecclesiasticae potestatis sive ordinis sive iurisdictionis (cf. veterem can. 145 § 1*). Attamen can. 274 § 1 enuntiat: «*Soli clerici obtinere possunt officia ad quorum exercitium requiritur potestas ordinis aut potestas regiminis ecclesiastici*». Immo can. 150 adiungit principium secundum quod: «*Officium secumferens plenam animarum curam, ad quam adimplendam ordinis sacerdotalis exercitium requiritur, ei qui sacerdotio nondum auctus est valide conferri nequit*». Persistit igitur existentia officiorum exercitium potestatis ordinis aut regiminis requirentium et etiam impossibilitas assumendi laicos ad huiusmodi officia. Orta est ergo summa divisio inter officia quae laici obtinere possunt et ea quae recipere nequeunt. Quomodo quidem

⁷ Cf. X. OCHOA, *Index verborum ac locutionum Codicis Iuris Canonici*, Roma 1983, 234.

definiri potest genus officiorum quae laicis concedi possunt?

Verum est quod iuxta can. 129 potestatis regiminis «*ad normam praescriptorum iuris, habiles sunt qui ordine sacro sunt insigniti*». Sed etiam laici possunt in exercitio eiusdem potestatis cooperari (cf. can. 129 § 2). Propterea nonnulli auctorum aliquam tensionem inter textum can. 129 § 2 et dispositionem supra citatam can. 274 § 1 videbant. Ut notum est Schema hodierni can. 274 § 1 dicebat: «*Soli clerici obtinere possunt officia ad quorum exercitium requiritur potestas ordinis et potestas regiminis ecclesiastici ordine sacro innixa*»⁸. Expressio *ordine sacro innixa* iam non invenitur in textu definitivo canonis. Commissio quidem prae oculis habitis divitiis doctrinae Concilii Vaticani II hac de re propositae, noluit directe affirmare originem sacramentalem totius potestatis regiminis in Ecclesia⁹, sed etiam noluit negare relationem inter ordinationem et habilitatem exercendi talem potestatem. Textus vigens can. 274 § 1 praedicare videtur hanc connexionem theologicam inter sacramentum ordinis et capacitatem ad potestatem regiminis. Re quidem vera, differentia inter sacerdotium commune fidelium et sacerdotium ministeriale est essentialis (cf. LG 10 b). Propterea auctores *officia clericalia ea appellant, quae ordinem sacrum ut conditionem requirunt*¹⁰. Ex hoc sequitur *officia laicalia ea*

⁸ *Communicationes* 14 (1982) 72.

⁹ Cf. G. GHIRLANDA, in P.A. BONNET - G. GHIRLANDA, *De christifidelibus, De eorum iuribus, de laicis, de consociationibus. Adnotationes in Codicem*, Romae 1983, 65; Pro diversis opinionibus de origine potestatis sacrae vide ex. gr. A. CELEGHIN, *Origine e natura della potestà sacra. Posizioni postconciliari*, Brixiae 1987.

¹⁰ G. GHIRLANDA, in P.A. BONNET - G. GHIRLANDA, 65.

nominari posse, quae ordinem sacrum ut conditionem non requirunt. Etsi haec definitio aliquatenus negativa appareat, hoc sequitur ex definitione laicorum in can. 207 § 1 contenta («*ceteri autem et laici nuncupantur*»).

Non obstante hac definitione officiorum laicalium remanet difficultas determinandi in modo generali quatenam sint haec officia laicalia. Ordo enim sacer pro aliquo officio variis modis requisitus esse potest: 1) mentione expressa in norma iuridica aut decreto auctoritatis quo officium constituitur (cf. can. 145 § 2) facta de necessitate ordinis sacri pro aliquo officio concreto; 2) indicatione functionum officii propriorum. In hoc secundo casu quaestio clara est, si enumerantur functiones liturgico-sacrales ordinem sacrum requirentes. Si autem functiones a norma iuridica vel a decreto determinatae exercitio tantummodo potestatis regiminis connectuntur, haberi possunt casus, in quibus difficile est decidere de natura clericalis vel laicalis officii. Verum est, quod Codex enumerat totam seriem functionum connexarum «magis vel minus intense cum munere legislativo, executivo et iudiciario»¹¹. Ut notat Luis NAVARRO:

¹¹ L. NAVARRO, *Il fedele laico*, in AA.VV., *Il diritto nel mistero della Chiesa. II. Il popolo di Dio, stati e funzioni nel popolo di Dio, Chiesa particolare e universale, la funzione di insegnare* (Quaderni di Apollinaris 9), Roma 1990, 165. De singulis functionibus vide ex. gr. P. CIPROTTI, *I laici nel nuovo Codice di Diritto Canonico*, in *Apollinaris* 56 (1983) 450-452; M. PETRONCELLI, *I laici e la «potestas iudicialis» nel codice canonico*, in AA.VV., *Raccolta di scritti in onore di Pio Fedele*, Perugia 1984, I, 369-382; M.E. OLMOS ORTEGA, *La participación de los laicos en los órganos de gobierno de la Iglesia (con especial referencia a la mujer)*, in *Revista española de derecho canónico* 46 (1989) 89-114.

«Haec functiones dividi possunt in functiones consultationis, in functiones indolis technicae, et alia quae non connectuntur cum potestate iurisdictionis; in functiones stabiles et temporales, institutionales et non institutionales»¹².

Hoc significat quod non omnia officia aliqua cooperatione cum exercitio potestatis regiminis connexa continent etiam ipsum exercitium huius potestatis. Non tamen negari potest laicos aliqua officia tale exercitium requirentia obtinere posse.

Criterium theologicum hac de re est enuntiaturum in responsione Sacrae Congregationis pro Doctrina Fidei diei 8 februarii 1977, ubi dicitur quod laici *«dogmatice exclusi tantum sunt ab officiis intrinsece hierarchicis, quorum capacitas a receptione sacramenti ordinis dependet»¹³.*

Manet tamen necessarium profundius investigare quatenus sunt nota officiorum aliquam participationem exercitii potestatis regiminis requirentium, sed laicis accessibilibus. Iuxta aliquos summum criterium est, quod officia laicalia aliquod exercitium potestatis regiminis postulantia notam *participationis* habent et non possunt exercitari modo autonomo. Iudex laicus ex. gr. non potest causam decidere ut iudex unicus, sed tantum iudicare ut unus ex tribus membris consilii iudicantis (cf. can. 1421 § 2). Giuseppe DALLA TORRE loquitur in hoc contextu de participatione *«non plena et utcumque secundaria et accidentalis»¹⁴.* Iuxta alios

¹² *Il fedele laico*, 165.

¹³ Ed. J. BEYER, *Iudex laicus vir vel mulier*, in *Periodica* 75 (1986) 59.

¹⁴ G. DALLA TORRE, *Considerazioni preliminari sui laici in diritto canonico*, Modena 1983, 85 (sermo fit de participatione *«non piena e comunque secondaria ed eventuale»*). Similiter etiam H. PREE, *Die Stellung des kirchlichen Laiendienstnehmers im*

participatio laicorum in potestatis regiminis exercitio non necessario limitatur ad «*formas cooperationis subordinatae et replicatae*»¹⁵. Immo Francisco Javier URRUTIA cum aliquibus aliis auctoribus affirmat possibilitatem cooperandi in exercitio «eiusdem potestatis» sensu can. 129 § 2 laicorum habilitatem probare ad hanc potestatem obtinendam. Ei videtur ergo iure ecclesiastico «*potestas regiminis clericis reservari... propter nexum cum potestate ordinis*»¹⁶.

Attamen videre debemus hoc problema technicum notarum officiorum laicalium aliquam participationem exercitii potestatis regiminis postulantium ex facto procedere quod quaestio theologica relationis inter ordinem sacrum et potestatem regiminis non est adhuc clare et definitive soluta ne a commissione codificatrice quidem. Immo haec quaestio fuit una ex maioribus difficultatibus totius revisionis Codicis Iuris Canonici¹⁷.

CIC/1983, in *Recht im Dienste des Menschen. Eine Festgabe Hugo Schwendenwein zum 60. Geburtstag*, Hrsg. K. LÜDICKE - H. PAARHAMMER - D.A. BINDER, Graz-Wien-Köln 1986, 477, n. 15 («*Can. 129 § 2 spricht dem Laien... nicht die Möglichkeit der Teilhabe an der potestas zu, sondern nur die Möglichkeit [kein Recht!] des Mitwirkens [nicht selbständige Trägerschaft, wie etwa der einzelne Laie im Drei-Richter-Kollegium!] an der Ausübung [nicht an der Gewalt selbst!]*»).

¹⁵ S. BERLINGO, *I laici nella Chiesa*, in AA.VV., *Il fedele cristiano. La condizione giuridica dei battezzati* (Il Codice del Vaticano II, 6), Bologna 1989, 202.

¹⁶ F.J. URRUTIA, *De normis generalibus. Adnotationes in Codicem: Liber I*, Romae 1983, 89; G. GHIRLANDA, *De potestate iuxta schemata a Commissione Codici recognoscendo proposita*, in *Periodica* 70 (1981) 402-404; J.B. BEYER, *De natura potestatis regiminis seu iurisdictionis recte in Codice renovato enuntianda*, in *Periodica* 71 (1982) 103-104. 136-137. 141. 145. (cit. F.J. URRUTIA).

¹⁷ Cf. P. LOMBARDIA, *Lezioni di diritto canonico*, Milano

Officia igitur laicalia sunt officia *non intrinsece hierarchica, id est quae sacrum ordinem non requirunt*. Alia criteria ex textibus legislativis vel magisterialibus haud erui possunt.

2. HABETURNE PRAESUMPTIO GENERALIS NATURAE LAICALIS OFFICIORUM IN ECCLESIA?

Ut ex supra dictis videtur, notio officii laicalis a nobis usitata minime continet necessitudinem specialem inter tale officium et statum laicalem aut vocationem laicorum in Ecclesia et mundo, sed tantum exprimit quod aliquod officium *omnibus christifidelibus accessibile est*. Ex hoc facto sequens quaestio oritur: habeturne praesumptio iuris in favorem possibilitatis concedendi officia ecclesiastica omnibus christifidelibus? Quaestio ergo non est an officia *laicis* concedenda praesumi debeant.

Iuxta can. 10: «*Irritantes aut inhabilitantes eae tantum leges habendae sunt quibus actum esse nullum aut inhabile esse personam expresse statuitur*». Estne lex inhabilitans can. 274 § 1, quae praescribit: «*soli clerici obtinere possunt officia ad quorum exercitium*

1984, 129 (secundum auctorem can. 129 est «*volutamente impreciso*»); P.A. BONNET, *Una questione ancora aperta: l'origine del potere gerarchico nella Chiesa*, in *Ephemerides Iuris Canonici* 38 (1982) 62-121; J. HERRANZ, *Le statut juridique des laïcs: l'apport des documents conciliaires et du Code de droit canonique*, in *Studia Canonica* 19 (1985) 229-257; E. MALUMBRES, *Los laicos y la potestad de régimen en los trabajos de reforma codicial: una cuestión controvertida*, in *Ius Canonicum* 26 (1986) 563-625; L. CHIAPPETTA, *Il Codice di diritto canonico, Commento giuridico-pastorale*, I, Napoli 1988, 174-176, nr. 807-813; G. FELICIANI, *Il popolo di Dio* (La nuova scienza, Serie di diritto), Bologna 1991, 106.

requiritur potestas ordinis aut potestas regiminis ecclesiastici? Habetur quidem antiqua disputatio de notione legis inhabilitantis. Auctores convenire videntur in definiendis legibus irritantibus et inhabilitantibus eas tantum leges tales appellantes «*quae actus reddunt invalidos qui de se, ex generalibus iuris sive naturalis sive positivi principiis, validi essent, aut non certo modo invalidi*»¹⁸. Hubert SOCHA hac de re loquens extollit, quod in his legibus tantummodo de nullitatibus agitur, quae a legislatore statuuntur et non de invaliditate, quae ex defectu requisitorum essentialium alicuius actus iuridici sequitur et ex praescriptis legalibus non pendet, quia nullitas actus iuridici provenire potest ex requisitis essentialibus ipsius vel ex positiva dispositione auctoritatis ecclesiasticae¹⁹. Notat tamen quod nullitates ex iure naturali aut divino positivo tantum deductae pro a legislatore conditis habendae sunt, velut leges quae incapacitatem in iure divino fundatam ad definitos casus applicant. Haec saltem dicitur opinio inter canonistas praevalere²⁰. Francisco Javier URRUTIA in hoc contextu utitur notione legis *late* (id est non stricte!) *inhabilitantis*. Pro tali habet legem determinantem personae capacitatem agendi, sine qua neque actum existentem ponit (velut can. 171 § 1, 1^o ubi incapax actus humani inhabilis ad dandum suffragium declaratur)²¹.

¹⁸ A. CONTE, M. CORONATA, *Institutiones iuris canonici ad usum utriusque cleri et scholarum*, I, ³Taurini 1947, 33-34, nr. 21.

¹⁹ *Münsterischer Kommentar zum Codex Iuris Canonici unter besonderer Berücksichtigung der Rechtslage in Deutschland, Österreich und der Schweiz*, Hrsg. K. LÜDICKE, Essen 1985 ss (Stand Nov. 1991), 10/1, nr. 1-2.

²⁰ Ibid. 10/1, nr. 1 et 10/2, nr. 3.

²¹ *De normis generalibus* 15.

Videtur ergo lex inhabilitatem valide ponendi aliquem actum iure divino statutam solummodo declarans haud sensu stricto inhabilitans nominari posse. Talis enim lex declarat tantum, sed non efficit inhabilitatem. Can. 274 § 1 igitur magis videtur elementum essenziale iure divino requisitum mere declarare, quam conditiones validae receptionis vel saltem captionis possessionis officii statuere. Ubinam sunt limites inhabilitatis iuris divini laicorum ad officia exercitium potestatis regiminis requirementia acceptanda, est quaestio theologica, de qua supra mentionem fecimus.

Si quis can. 274. § 1 pro lege inhabilitanti habere vellet, pro solutione concreta eandem quaestionem theologiam solvere deberet, quia leges inhabilitantes personam inhabilem esse expresse statuere debent (can. 10), sed inhabilitatio expressa potest esse etiam implicita²². Expressa sed implicita dispositio personam inhabilem statuens habetur ex. gr. in legibus quae conditiones capacitatis personae valide agendi in forma positiva enumerant aut elementa essentialia alicuius actus determinant²³. Possibilitas tamen valide agendi variis formulis indicari potest, quarum nonnullae dubii valoris sunt et valde discussae. Talis formula est etiam usus verbi *posse*, cuius significationem Winfried AYMANS pro iam saepius in controversiam vocata habet specialiter quoad can. 274 § 1²⁴.

²² Cf. H. SOCHA, in *Münsterischer Kommentar zum CIC* 10/3-4, nr. 6; F.J. URRUTIA, *De normis* 15. 12; etc.

²³ Cf. H. SOCHA, in *Münsterischer Kommentar zum CIC* 10/3-4; L. ORSY, in *The Code of Canon Law. A Text and Commentary*, ed. J.A. CORIDEN - T.J. GREEN - D.E. HEINTSCHEL, New York-Mahwah 1985, 31; etc.

²⁴ W. AYMANS - K. MÖRSDORF, *Kanonisches Recht. Lehrbuch auf Grund des Codex Iuris Canonici*, I, Paderborn - München -

Quoad rectam interpretationem can. 274 § 1 prae oculis habere debemus, quod haec norma non subest strictae interpretationi iuxta can. 18. Non coarctat enim exercitium iurium, quia non existit ius omnium christifidelium ad obtinenda officia in genere. Can. 228 § 1 dicit tantummodo laicos habiles esse a sacris Pastoribus ad illa officia assumi, quibus ipsi «*secundum iuris praescripta fungi valent*». Ante omnia hic sermo fit de habilitate et non de iure in sensu stricto²⁵. Deindeabilitas non sese extendit nisi ad casus iure permissos. Propterea ipsaabilitas ab ovo limitatur a can. 274 § 1 et non viceversa. Si autem can. 274 § 1 non strictae interpretationi subest, probabilitas theologica necessitatis sacri ordinis ad aliquas functiones exercendas sufficere videtur ut laici ad hoc officium habiles non sint.

Immo officia exercitium sacri ministerii requirentia propter praesentiam necessariam huiusmodi ministerii in Ecclesia per ordinationem divinam (cf. can. 207 § 1) specialis momenti sunt in Populo Dei. Ea autem officia quae in Ecclesia divina constitutione existunt (cf. can. 145 § 1), velut praesertim officium Romani Pontificis et Episcopi dioecesani²⁶, sed et

Wien - Zürich 1991, 166-167; cf. P. ERDÖ, *Expressiones obligationis et exhortationis in Codex Iuris Canonici*, in *Periodica* 76 (1987) 11; K. MÖRSDORF, *Die Rechtssprache des Codex Iuris Canonici. Eine kritische Untersuchung*, Paderborn 1937 (repr. 1967), 96.

²⁵ Cf. ex. gr. J. HERVADA, in *Código de derecho Canónico. Edición anotada*, a cargo de P. LOMBARDIA - J.I. ARRIETA, Pamplona 1983, 183.

²⁶ Cf. ex. gr. J.I. ARRIETA, in *Código EUNSA* 140, ad can. 145; G. GHIRLANDA, *Il diritto nella Chiesa mistero di comunione. Compendio di diritto ecclesiale*, Cinisello Balsamo-Roma 1990, 271, nr. 294; W. AYMANS - K. MÖRSDORF I, 446; H. SOCHA, in *Münsterischer Kommentar zum CIC* 145/2, nr. 3; hi ultimi duo

ipsius collegii Episcoporum, pondus speciale in ecclesiastica communione constituenda habent. Re quidem vera ipse Summus Pontifex IOANNES PAULUS II in allocutione die 29 ianuarii 1979 habita distinguit officia fundamentalia ab officiis auxiliaribus²⁷. Etiam canonistae hanc distinctionem illuminant. Heribert SCHMITZ loquitur de *officiis praesidialibus*²⁸, Klaus MÖRSDORF autem iam antea *officia principalia* ab aliis distinguebat²⁹. Summa summarum habentur in Ecclesia *officia per excellentiam*, quorum stabilitas pro constitutione Ecclesiae necessaria et iure divino data videtur. Haec officia uno eodemque tempore plenum exercitium sacri ministerii significant³⁰. Sunt ergo non simpliciter clericalia, sed essentiam status clericalis in Ecclesia ex natura rei determinantia. Clerus enim ex ipso sacro ministerio definitur (can. 207 § 1).

His perpensis nobis videtur, quod *natura laicalis officiorum in genere in Ecclesia nullo modo praesumitur*. Can. 274 § 1 enim haud certo pro lege inhabilitanti sensu stricto haberi potest. Nec exercitium iurium coarctat, quia christifideles in genere nullum ius ad officia obtinenda habent. Officia denique principalia ex rei natura stricte clericalia sunt.

auctores etiam officium collegii Episcoporum ordinatione divina fundatum expresse affirmant.

²⁷ *Acta Apostolicae Sedis* 71 (1979) 211.

²⁸ *Ordinatio systematica novi Codicis Iuris Canonici recogniti*, in *Periodica* 68 (1979) 173 («Vorsteherrämter»).

²⁹ *Zur Neuordnung und Systematik des Codex Iuris Canonici*, in *Archiv für katholisches Kirchenrecht* 137 (1968) 14 («Grundämter»).

³⁰ Vide amplissimam doctrinam Concilii Vaticani II ex. gr. in CD 2, 11-16, LG 20, 21 b et in Nota explicativa praevia 2 necnon in can. 375 expressam. Cf. A. DA SILVA PEREIRA, *Sacramento do poder e ofício eclesiástico. Problemática hodierna do sacramento e poder na Igreja*, Roma 1969, 203.

3. HABETURNE REALITAS QUAEDAM ALIQUORUM OFFICIORUM, QUI FUNCTIONEM INSTITUTI IURIDICI OFFICII IN ECCLESIA MAGIS ET STRICTIUS QUAM ALIA ADIMPLENT?

Ex dictis iam clare videtur officia in Ecclesia ratione eorum ministerii ecclesiologici in plures classes dividi debere. Adsunt enim officia ecclesiologice pro ecclesiastica communione constituenda necessaria, quae etiam iure divino fundata appellari possunt, et alia officia, quae functionem illorum adiuvant. Haec tamen secunda classis ulterius subdividi potest.

Sed quaeritur an officia fundamentalia sint magis officia quam alia. Responsio requirit illuminationem alterius quaestionis, nempe definitionem functionum principalium specialium officiorum in Ecclesia.

4. QUAENAM SUNT FUNCTIONES PRINCIPALES SPECIALES OFFICIORUM IN ECCLESIA?

Si functiones speciales omnium officiorum investigare volumus, a definitione can. 145 § 1 ordiri debemus. Functio enim omnium officiorum est, quod sint munera, stabiliter constituta, quae in finem spirituales exerceantur. Finis autem spiritualis est finis Ecclesiae, id est salus animarum. Officia quidem, de quibus hic agitur, sunt *ecclesiastica*, et hoc significat, quod functionem ipsius Ecclesiae in opere salutis (cf. AA 2, can. 298 § 1) nomine Ecclesiae (cf. can. 116 § 1, 834 § 2, 1108 § 2, 1192 § 1, 1282) explicant³¹. Officia ergo, quae in munere Ecclesiae salvifico adim-

³¹ Cf. G. GHIRLANDA, *Il diritto nella Chiesa* 271, nr. 294; H. SOCHA, in *Münsterischer Kommentar zum CIC* 145/4, nr. 7.

plendo fundamentalia ac necessaria sunt, et perinde etiam ex natura rei maxima stabilitate pollent, sunt etiam magis officia, id est *iure meritoque officia per excellentiam nuncupari possunt*. Haec tamen officia non sunt eadem ac officia clericalia. Functiones quidem sacri ministerii omnino necessariae sunt in vita Ecclesiae, sed complexus concretus obligationum et iurium dispositione tantum ecclesiastica constitutus non est in hac vel illa forma absolute necessarius. Id est officia fundamentalia habentur in Ecclesia, et quidem sunt omnia clericalia. Inter officia minus vel nulla ratione fundamentalia adsunt clericalia, in quibus tamen functiones necessariae, sed non in forma institutionaliter necessaria exercentur.

De officiis clericalibus, sed non in forma hodierna institutionaliter necessariis prae oculis habere iuvat sequentia. De sacerdotibus ipsum Concilium Vaticanum II docet:

«*Donum spirituale, quod Presbyteri in ordinatione acceperunt, illos non ad limitatam quandam et coarctatam missionem praeparat, sed ad amplissimam et universalem missionem salutis "usque ad ultimum terrae" (Act. 1,8), nam quodlibet sacerdotale ministerium participat ipsam universalem amplitudinem missionis a Christo Apostolis concreditae*» (PO 10 a).

IOANNES PAULUS II in adhortatione apostolica post-synodali Pastores dabo vobis (25 martii 1992) ipsos patres synodales allegans enuntiat sacerdotium cum Dei Verbo et sacramentis quibus servitio dedicatus est ad *elementa constitutiva Ecclesiae* attinere (nr. 16). Presbyteri enim servitores sunt *Ecclesiae, quae est communio*, quia Episcopo uniti et cum presbyterio colligati unitatem communionis ecclesialis construunt. Apostoli quidem eorumque successores positi sunt — cum ministerio iis proprio — in conspectu Ecclesiae

signa sacramentalia Christi stantis in conspectu Ecclesiae et mundi ut origo permanens et semper nova salutis (ibid). Propterea sacerdotes partem specialem in ministerio salutis habent. Perinde officia exercitium sacri ministerii requirentia ministerio Ecclesiae salutis animarum inserviendi strictius connectuntur. Ut Concilium Vaticanum II docet: «*Mysterium Christi quod totam generis humani historiam afficit, in Ecclesiam iugiter influit et ministerio sacerdotali praecipue operatur*» (OT 14 a; cf. LG 7, 28). Huiusmodi igitur officia in finem spiritualem speciali et eminenti modo tendunt. Sacerdotium autem commune fidelium et sacerdotium ministeriale «*essentia et non gradu tantum*» differunt, ad invicem tamen ordinantur (LG 10 b). Sic etiam inter officia sacro ministerio connexa et alia differentia essentialis habetur ratione servitii specialis finis spiritualis.

Haberi possunt etiam aliae functiones utiles pro salute animarum nomine Ecclesiae promovenda. Etiam pro harum exercitio possunt munera stabiliter constitui.

Et sic habetur responsio etiam ad quaestionem tertiam:

1) *Adsunt in Ecclesia officia, quae iure divino existunt et fundamentalia nuncupari possint. Haec sunt officia per excellentiam, id est quae functionem instituti iuridici officii maxime adimplent et omnia sunt clericalia.*

2) *Habentur etiam alia officia exercitio sacri ministerii connexa, iure ecclesiastico condita, in quibus tamen sacerdotium salutem animarum praecipue promovens exercetur. Talia officia non sunt in forma actuali necessaria, sed functioni officiorum ecclesiasticorum eminenter respondent.*

3) *Existunt in Ecclesia etiam alia officia.*

III. Problemata practica

Praeter principia theorico-theologica magni momenti sunt circumstantiae iuridicae in variis civitatibus datae, inter quas officia ecclesiastica proprium servitium adimplere debent. In hoc contextu magis urgere videntur quaestiones quae sequuntur.

1. QUIBUSNAM CATEGORIIS IURIS LABORIS CIVILIS RESPONDET OFFICIA ECCLESIASTICA?

Propter securitatem socialem et oeconomicam, sed etiam pro effectum civili aliquorum actuum iuridicorum cum officiis ecclesiasticis connexorum Ecclesiae interest qualificatio relationis laboris ecclesiastici in iure rei publicae. Sed officia ecclesiastica a singulis legislationibus civilibus in varias classes aggregari possunt. Exemplo iuris Hungarici demonstrare conamur aliquos aspectus huius problematis.

Ius Hungaricum in lege quae de libertate conscientiae et religionis necnon de ecclesiis tractat, declarat quod ecclesiae propria autonomia gaudent³². Aliae normae iuridicae autem notionem *personae ecclesiasticae* usitant. Hae personae in iure hungarico non definiuntur modo generaliter valido. Ante annum 1989 in normis iuris civitatis sermo fuit de personis ecclesiasticis sensu distinctionis a personis ab Ecclesia tantum mercede conductis. Harum relatio cum Ecclesia suberat legibus et normis iuris laboris rei publicae, illarum vero a normis civilibus exempta erat et tan-

³² 1990. évi IV. törvény a lelkiismereti- és vallásszabadságról valamint az egyházakról § 8.

tummodo a propriis normis singularum ecclesiarum ordinabatur³³. In hoc contextu considerabantur personae ecclesiasticae in Ecclesia catholica sacerdotes et «religiosi», id est membra institutorum religiosorum etiam a Statu recognitorum. Pro condicione operaria et relationibus cum labore connexis laicorum, licet ad activitatem pastorem operam suam Ecclesiae commodantium, normae iuris civilis privati et aliquae normae iuris laboris et securitatis socialis civilis valebant et adhuc valent. Ipsi Episcopi Hungariae hunc statum rerum in propriis ordinationibus recipiebant³⁴. Ecclesia autem possibilitatem habuit etiam pro laicis, immo et non catholicis mercede conductis aliquas regulas proprias intra limites iuris laboris civilis adiungere. Tres igitur erant et sunt classes cooperatorum Ecclesiae: 1) *personae ecclesiasticae*, qui dedicatione totali sui ipsius servitio adhaerent; 2) *personae mercede conductae*, qui catholici vel non catholici cum aliqua persona iuridica ecclesiastica contractum laboris (pleni temporis vel non) stipulabant, aut quoquo modo relationem laboris secundum ius civile cum Ecclesia habent et 3) *personae adiutricem operam Ecclesiae sine mercede aut occasionaliter praestantes*, qui nullam relationem laboris iuridice recognitam cum Ecclesia habent.

³³ Ab provisionem tamen aliquorum officiorum consensus Status in epocha comunista requirebatur, cf.: decretum vim legis habens 22/1957.

³⁴ Cf. Conferentia Episcoporum Hungariae, *A világi személyek lelkipásztori tevékenységének szabályzata* (Ordinationes de navitate pastoralis laicorum), Budapest 1986, 13-17, § 16-20; Id., *A magyarországi katolikus kántorok és karnagyok szabályzata* (Ordinationes de navitate cantorum et moderatorum chori in Hungaria), [Budapest] 1985, 6-9, § 1-5.

Ultimis temporibus, in aliquibus tantum normis iuris hungarici expressio *persona ecclesiastica* etiam alias significationes assumere videbatur. Lex anno 1989 lata de tributo post redditus personarum privatarum solvendo in § 67 nr. 14 dicit personam ecclesiasticam esse eum «qui propter munera ecclesiastica pro Ecclesia obita ab illa Ecclesia mercedem regularem menstruam recipit». Favoribus in lege pro his personis statutis gaudere cupientes etiam cantores affirmabant se personas ecclesiasticas esse. In alia vero norma iuridica recenti notio personarum ecclesiasticarum sensu multo magis coarctato apparet. In § 167 decreti nr. 89 die 1 maii 1990 editi Consilii Ministrorum persona ecclesiastica nec sodales quidem institutorum religiosorum significare videtur sed fortasse tantummodo sacerdotes et pastores aliarum confessionum. Pro regula generali tamen permanet distinctio supra indicata trium generum cooperatorum Ecclesiae.

Secunda tamen categoria, id est classis eorum, qui erga mercedem Ecclesiae operam praestant et subsunt normis iuris laboris civilis, subdividitur secundum varias formas relationis laboris³⁵ in iure hungarico existentes. Habentur enim personae mercede conductae: 1) laborem ecclesialem ut *occupationem principalem et pleni temporis* habentes; 2) eandem operam ut *occupationem principalem sed non pleni temporis* praestantes; 3) talem laborem ut *occupationem secundariam, id est subsicivis operis* exercentes; 4) operam ecclesialem *praeter pensionem*, qua aliquo

³⁵ Has formas ut genera possibilia relationis laboris eorum, qui in *operibus pastoralibus exercendis* Ecclesiam adiuvant (cooperatores pastorales), Conferentia Episcopalis Hungarica omnino recipiebat. Cf. *A világi személyek lelkipásztori tevékenységének szabályzata*, Budapest 1986, 13, § 16.

titulo (velut senectutis aut aegritudinis) iam fruuntur, habentes; 5) his omnibus assimilantur etiam aliqui *commissionem occasionalem* recipientes; huiusmodi enim commissio non efficit relationem laboris, sed si summa menstrua a commissario (ex. gr. a catechista in schola publica docenti) recepta aequat mediam summam minimae pensionis iure determinatae, Ecclesia etiam hanc relationem auctoritatibus pro assicuratione sociali competentibus significare tenetur³⁶.

Tertia autem classis operibus ecclesialibus addictorum, ad quam coadiutores relationem laboris iuris civilis cum Ecclesia non habentes pertinent, comprehendit: 1) eos, qui gratis et sine mercede operantur et sic normis iuris laboris civilis non subsunt quoad hanc activitatem; 2) eos, qui occasionalem commissionem accipientes summas minusculas recipiunt, quae non aequant nec summam iure definitam. Etsi hi secundi relationem laboris iuris civilis cum Ecclesia non habeant, subsunt tamen normis de commissionibus occasionalibus remuneratis.

2. RECIPITNE ECCLESIA IN PRAXI PROPRIA HANC DISTINCTIONEM?

In *iure canonico universalis* vigent normae diversae de remuneratione et relatione laboris variis serviitiis ecclesiasticis addictorum. Can. 281 *de clericis* statuit:

«§ 1. Clerici, cum ministerio ecclesiastico sese dedicant, remunerationem merentur quae suae condicioni congruat, ratione habita tum ipsius muneris naturae, tum locorum temporumque condicionum, quaque ipsi possint necessitati-

³⁶ Decretum Gubernii nr. 129/1990 (diei 31-12-1990).

bus vitae suae necnon aequae retributioni eorum, quorum servitio egent, providere.

§ 2. *Item providendum est ut gaudeant illa sociali assistentia, quae eorum necessitatibus, si infirmitate, invaliditate vel senectute laborent, apte prospiciantur».*

Hoc principium in Codice enuntiatum nititur in Concilio Vaticano II (PO 20). Ius igitur clericorum ad remunerationem iam non ex titulo ordinationis provenit ut iuxta Codicem anni 1917 (can. 979*-981*)³⁷. «Instrumentum technicum»³⁸ respondendi obligationibus, quae oriuntur ex hoc iure clericorum, describitur in can. 1274, ubi de instituto speciali agitur, quo singulae dioeceses sustentationi clericorum provideant. Sed modus creandi hoc institutum in can. 1272 laudatus, id est contractio reddituum immo et dotis beneficiorum non ubique possibilis est. In partibus, ubi nunquam beneficia exsistebant, alia systemata plus minusve sufficientia efformabantur. Ubi vero cleri sustentatio omnino a beneficio dependebat, sed postea dos beneficiorum sine compensatione saecularizata est, ut in Hungaria, fundatio huius instituti impossibilis aut ad sustentationem cleri evidenter insufficiens esse potest.

Immi quoad diaconos permanentes uxoratos ipse Codex distinguit inter eos, «*qui plene ministerio ecclesiastico sese devovent*» et eos, qui «*ratione professionis civilis, quam exercent aut exercuerunt, remuneratio-*

³⁷ Cf. ex. gr. W. ÜLHOF, *Die Zuständigkeit zur Weihespendung mit besonderer Berücksichtigung des Zusammenhangs mit dem Weihetitel und der Inkardination* (Münchener Theologische Studien, Kanonistische Abteilung 15), München 1962, 16-25.

³⁸ Cf. J. MANZANARES, in *Código de Derecho Canónico. Edición bilingüe comentada*, dir. L. DE ECHEVERRÍA, Madrid 1983, 171.

nem obtinent». Hos nullam, illos vero plenam remunerationem ecclesiasticam mereri canon statuit. Quaestionem, an diaconi uxorati plene ministerio ecclesiastico dediti, qui pensionem civilem habent ratione senectutis aut alterius professionis olim exercitatae, qualem remunerationem ab Ecclesia exigere possint, hic fusius examinare non possumus.

De *laicis* principium generale can. 231 enuntiat, secundum quod si «*permanentemente aut ad tempus speciali Ecclesiae servitio addicuntur*» (§ 1),

«*ius habent ad honestam remunerationem suae conditioni aptatam, qua decenter, servatis quoque iuris civilis praescriptis, necessitatibus propriis ac familiae providere valeant; itemque iis ius competit ut ipsorum praeventivae et securitati sociali et assistentiae sanitariae, quam dicunt, debite prospiciatur*» (§ 2).

Hoc principium sese refert tantummodo ad laicos qui sensu AA 22 sese modo *exclusivo* missionibus ecclesialibus aut operibus apostolicis dedicant vocationem propriam christianam in Ecclesia sequentes³⁹. Non tamen respicit laicos et non catholicos, qui servitium «titulo mere professionali vel laboris» entibus ecclesiasticis praestant. Relationem cum his personis tantummodo ius civile ordinat⁴⁰, salvo semper «iure naturali».

Attamen, remissio expressa in § 2 can. 231 contenta («*servatis quoque iuris civilis praescriptis*»), has duas classes practice aequiparare videtur. Can. 1286 autem sine ulla restrictione requirit ut administratores bonorum «*in operarum locatione leges etiam civiles, quae ad laborem et vitam socialem attinent,*

³⁹ Cf. J. HERVADA, in *Código EUNSA* 185, ad can. 231.

⁴⁰ *Ibid.* 186.

adamussim servant». Licet hic canon praesertim operam tantummodo ex conducto praestantes prae oculis habere videatur, recte allegat Luigi CHIAPPETTA in explicatione huius canonis etiam can. 231 § 2⁴¹, propter remissionem supra laudatam⁴².

Ius canonicum particulare in Hungaria vicens, ut iam diximus, categorias iuris civilis cum magno studio applicat etiam laicis, qui propriam vocationem christianam in variis ministeriis ecclesiasticis cum cura pastoralis stricte connexis exercent⁴³.

Numquam tamen sermo fit in his normis canonicis de quaestione an munera talium laicorum pro *officiis ecclesiasticis* habenda sint in sensu Codicis vigentis. Immo Conferentia Episcopalis Hungarica anno 1986 praescripsit etiam *diaconos permanentes* semper condicionem operariam (relationem laboris) officialem, id est in iure civili ordinatam — et non more sacerdotum tantummodo «ecclesiasticam»! —

⁴¹ *Il Codice di Diritto Canonico* II, 396, nr. 4202.

⁴² Iuxta opinionem Jorge de OTADUY (*El derecho a la retribución de los laicos al servicio de la Iglesia*, in *Persona y derecho. Suplemento Fidelium Iura* 2 [1992] 200) can. 1286 et 1290 ex se haud comprehendunt omnes laicos ministerium speciale in sensu can. 231 habentes, sed eorum relatio laboris etiam secundum ius civile stabiliri potest. Hoc in casu regimen eorum laboris cum regimine laboris mercede conductorum practice aequipararetur.

⁴³ Cf. Conferentia Episcoporum Hungariae, *A világi személyek lelkipásztori tevékenységének szabályzata* (Ordinationes de navitate pastoralis laicorum), Budapest 1986, 13-17, § 16-20; Id., *A magyarországi katolikus kántorok és karnagyok szabályzata* (Ordinationes de navitate cantorum et moderatorum chori in Hungaria), [Budapest] 1985; *Magyarországi katolikus egyházközségek általános szervezeti szabályzata* (Ordinationes generales communitatum ecclesialium [paroecialium] in Hungaria), Budapest 1984, 7-8, § 10 (2) g, (3) d.

habere debere⁴⁴. Diaconus permanens ergo aut habet professionem et laborem civilem aut habet contractum laboris cum Ecclesia secundum ius civile similiter ac laici et cooperatores non catholici. Ceteroquin ordinatio Conferentiae Episcopalis Hungaricae supra laudata habet in fine⁴⁵ clausulam generalem, secundum quam quaestionibus de iure laboris omnium cooperatores pastoralium (sive laicorum sive diaconorum permanentium, sed non sacerdotum) in ipsa ordinatione non regulatis normae Ordinationum de cantoribus agentium applicentur, et si hae non sufficiunt, ad normam iuris civilis quaestio solvenda est. Aliter se habet relatio laboris diaconorum permanentium ex. gr. in Gallia, ubi hi sacerdotibus aequiparantur et condicioni iuridicae communi ministrorum ordinatorum participant⁴⁶. Immo si ante diaconatum iam cooperatores retributione ab Ecclesia dotati erant, ordinatio contractui laboris antea existenti substituitur⁴⁷.

Maxima sollicitudo legislatoris ecclesiastici hungarici relationibus laboris laicorum et diaconorum permanentium normas iuris civilis applicandi non solum ex defectu independentiae Ecclesiae a Statu in Hungaria eius temporis provenit, sed etiam ex plena incapacitate Ecclesiae propriis institutis dignum salarium et praesertim securitatem socialem (et pensio-

⁴⁴ *A világi személyek lelkipásztori tevékenységének szabályzata* 19, § 25. Decisio Conferentiae Episcoporum erat probabiliter unanimis, licet de hoc facto nulla mentio expressa in textu inveniatur.

⁴⁵ Ibid. 22, § 33.

⁴⁶ Cf. J.P. DURAND, in P. VALDRINI - J. VERNAY - J.P. DURAND - O. ÉCHAPPÉ, *Droit canonique*, Paris 1989, 704.

⁴⁷ Ibid.

nem senectutis) praebendi cooperatoribus sine auxilio structurarum publicarum. Orta est haec solutio fortasse etiam ex timore, ne Ecclesia sese contra excessus cooperatorum ineptorum propriis sanctionibus sine auxilio iuris civilis et laboris rei publicae defendere nequeat. Notandum est quod Ecclesia in Hungaria nec remunerationem secundum can. 281 § 1 debitam clericis plene praestare potest. Tanto minus personis uxoratos et familiam habentibus.

3. HABETNE ALIQUOD MOMENTUM PRACTICUM NOTIO OFFICII ECCLESIASTICI, PRAESERTIM QUOAD LAICOS?

Ex supra dictis patet aliqua munera fundamentalia divinitus condita in Ecclesia necessario adesse. Haec munera propter plenam stabilitatem, fundationem divinam et scopum maxime spirituales et publicum semper et eminenter respondent notioni officii ecclesiastici in can. 145 contentae. De iis tamen theologie plus constat, quam in can. 145 requiritur.

Officia cum ordine sacro connexa praesertim sacerdotalia similiter respondent definitioni officii ecclesiastici, et disciplina canonica officiorum his muneribus apte applicatur, si diaconos permanentes, praesertim uxoratos excipias.

Ad munera tamen laicis concredita quod attinet, problemata specialia oriuntur. Si huiusmodi functiones ut officia ecclesiastica eriguntur, earum disciplina, nempe obligationes et iura iis propria, definiuntur iuxta can. 145 § 2 sive ipso iure quo singula officia constituuntur, id est iure divino aut ecclesiastico (cf. can. 145 § 1), sive decreto auctoritatis competentis. Haec auctoritas competens ad constituenda et conferenda officia est semper auctoritas ecclesiastica (cf. *ibid.*). In can. 231 tamen invenitur remissio ad ius

civile quoad laicos speciali servitio Ecclesiae addictos maxime quoad eorum remunerationem, securitatem socialem et assistentiam sanitariam. Haec remissio fit in forma generali, nullo respectu habito distinctionis inter officia et alia munera.

Per se nulla contradictio formalis inter can. 145 § 2 et can. 231 habetur, quia Ecclesia potest normas iuris civilis recipere, id est proprias facere, nec in can. 231 § 2 fit sermo de omnibus obligationibus et iuribus, sed tantummodo de remuneratione. Attamen, valores protecti in his duobus canonibus sunt valde diversi, licet non adversi. Can. 145 et normae canonicae de officiis, ante omnia de collatione officiorum (cf. cann. 146-148) libertatem Ecclesiae defendunt in propriis publicis muneribus stabilibus conferendis. Agitur enim de libertate et identitate Ecclesiae ut ordinis iuridici primarii, qui ad proprias functiones publicas ordinandas non eget iustificatione alterius ordinis iuridici.

Can. 231 autem securitatem oeconomicam et socialem cooperatorum Ecclesiae tuetur et propterea auxilio iuris civilis utitur. Patet tamen normas iuris civilis hac de re haud recipi posse sine foundatione condicionis operariae secundum ius civile. Ex hoc facto autem non tantummodo quoad remunerationem sed etiam quoad multa alia iura et obligationes effectus oriuntur. Receptio ergo iuris civilis faciliter totam relationem inter Ecclesiam et eius cooperatorem laicum afficit. Conflictus inter ordinem canonicum et civilem saepe evitari potest cum clausulis appositis vel condicionibus in contractu laboris stipulatis⁴⁸.

⁴⁸ Cf. J. OTADUY, *El derecho a la retribución* 202 («Ya advertimos que el contrato laboral es admisible también para quienes desempeñan oficios eclesiásticos en régimen de dependen-

Supra videbamus, quod in aliquibus partibus, velut in Gallia, cooperatores pastores laici cum Ecclesia contractu laboris collegati, post ordinationem diaconalem hanc relationem civilem laboris amittunt et contractui nova necessitudo cum Ecclesia ordinatione nitens substituitur. Aliter res se habet in Germania, ubi die 22 januarii 1979 Conferentia Episcopalis iam ordinationes de diaconis permanentibus edidit⁴⁹, quae anno 1987 iterum confirmatae sunt. In his ordinationibus statuitur, quod diaconi servitium Ecclesiae ut occupationem principalem exercentes ad maiorem securitatem iuris ad sustentationem generatim relationem laboris specialem cum Ecclesia constituere debent, et quidem regulariter relationem mercede conducti⁵⁰. Videtur ergo, quod duo valores libertatis nempe Ecclesiae et securitatis sustentationis haud facile componuntur, sed limites inter ambitum legitima praeventiae primi et secundi valoris ab Episcopis generaliter circa munera diaconorum permanentium ponuntur. In aliquibus partibus relatio tantummodo ecclesiastica laboris cum diaconis habetur, in aliis vero regionibus, velut in Hungaria omnes

cia e integración en la estructura eclesiástica. Sin embargo, el respeto a la disciplina canónica hace necesario admitir en esos casos algunas salvedades al régimen laboral»).

⁴⁹ *Rahmenordnung für Ständige Diakone in den Bistümern der Bundesrepublik Deutschland.*

⁵⁰ Editio ex. gr.: J.T. MARTIN DE AGAR, *Legislazione delle Conferenze Episcopali complementare al CIC*, Milano 1990, 300 («Zur Sicherung der versorgungsrechtlichen Ansprüche wird ein besonderes Dienstverhältnis, in der Regel ein Angestelltenverhältnis begründet»). Cf. A. WEISS, *Der Ständige Diakon. Theologisch-kanonistische und soziologische Reflexionen anhand einer Umfrage* (Forschungen zur Kirchenrechtswissenschaft 10), Würzburg 1991, 151-153.

diaconi iuri laboris civili subsunt per rationes oeconomicas. *Laici ergo servitio Ecclesiae addicti si pleno tempore sese muneribus ecclesiasticis dedicant, plerumque et ex voluntate ipsius Ecclesiae ab aliquibus saltem normis iuris laboris civilis reguntur.* Disciplina canonica de officiis ecclesiasticis his laicis saepe non vel cum maxima difficultate potest applicari. Ad quaestionem igitur respondendum est: *Notio officii ecclesiastici habet quidem aliquod momentum quoad relationem Ecclesiae cum suis cooperatoribus laicis, in quantum can. 146 requirit provisionem canonicam ad officia valide obtinenda, sed missio vel mandatum auctoritatis ecclesiasticae necessarij essent etiam pro aliis publicis muneribus in Ecclesia, quae non sunt ut officia erecta (ex gr. can. 804, 805, 812, 834 § 2); quoad omnia alia elementa officii hoc institutum iuridico-canonicum minoris ponderis esse videtur, quia intra limites iuris laboris civilis stabilitas constitutiva muneris atque definitio et tutela iurium et obligationum tam Ecclesiae quam cooperatoris laici in multis nationibus efficacius praestantur.*

4. QUAE SUNT ELEMENTA NOVAE DISPOSITIONIS SYSTEMATICAE FUNCTIONUM ET MUNERUM FIDELIUM IN ECCLESIA?

Pro recta decisione de applicandis aut acceptandis vel non categoriis iuris laboris civilis pro muneribus ecclesiasticis, prius clare distinguere oportet genera functionum, munerum, officiorum publicorum in Ecclesia. Sic tantum videri potest, quomodo Ecclesia auxilio institutionum societatis civilis et status servitiae ecclesiastica meliorem reddere et cooperatoribus maiorem securitatem oeconomicam et socialem offerre potest sine ammissione independentiae «ordini iuridi-

co primario» propriae in suis fundamentalibus functionibus publicis assignandis et exercendis.

In sequentibus schema munerum in Ecclesia delineare conamur respectu habito possibilitatis et opportunitatis eorum connexionis cum iure laboris civili.

CONSPECTUS MUNERUM IN ECCLESIA

MUNERA PUBLICA (directe spiritualia, munera Ecclesiae explicantia, nomine Ecclesiae exercenda, collatione vel missione etsi per modum legis data ab auctoritate ecclesiastica conferenda):

STABILIA (officia)	NON STABILIA	HABITUDO CUM IURE CIVILI
<i>Munera fundamentalia</i> (officia fundamentalia, iure divino condita, sacra)		Ius civile laboris ex ordinatione divina plene applicari nequit.
<i>Munera sacra</i> (officia sacra, sacramentum ordinis requirunt)	(alia sacra ministeria)	Ius laboris civilis lege divina vel ecclesiastica magna ex parte excluditur et opportunitas valde requirit ne applicetur.
<i>Alia munera</i> (officia simpliciter seu laicalia)	(alia munera publica)	Ius laboris civile cum aliquibus reservationibus applicari potest.

MUNERA IN FAVOREM ECCLESIAE (non directe spiritualia, non in nomine Ecclesiae exercenda, etiam non catholicis assignari possunt, contractus etsi non semper scriptus cum repraesentante legitimo alicuius personae iuridicae publicae ecclesiasticae requiritur)

Ius laboris civile
plene et valde opportune
applicatur.

IV. Considerationes finales

Ex dictis dari videntur aliquae considerationes magis vel minus generales de officiis eorumque relatione cum iure civili specialiter de officiis laicorum.

1) Ecclesia ex propriis viribus sustentationem in Codice Iuris Canonici requisitam (cf. can. 281) nec clericis quidem semper et ubique congrue praestare potest sine auxilio institutorum iuris civilis. Problematata specialia pro diaconis uxoratis oriuntur. Applicatio iuris civilis ad laicos etiam maioris momenti est.

2) Notio officii ecclesiastici minoris ponderis practici est quoad munera laicorum ordinanda.

3) Officia fundamentalia et alia sacra officia non possunt ordinari tantummodo iure civili sine periculo libertatis et identitatis Ecclesiae.

4) Non inveniuntur officia sacra, quae sint necessario ex rationibus theologicis specialiter diaconis reservata. Laici missione necessaria provisi theorice functiones diaconis proprias exercere possunt. Ex hoc facto datur quod diaconi ad eorum laborem quod attinet in variis legislationibus particularibus ecclesiasticis laicis assimilantur.

5) Officia possunt haberi etiam sine ulla relatione laboris iuris civilis. Officii enim notio institutum canonicum est, et determinat conditionem titularis in sinu Ecclesiae. Relatio autem laboris sese refert ad necessitudinem externam cum societate civili.

6) Si nota publica ecclesialis officii protegi debet, munera ordinata cum remissione ad ius civile non debent esse fundamentalia. Saltem pro officiis fundamentalibus et sacris functio ecclesiastica theorice solvenda esse videtur a quaestione munitiois remunerationis et securitatis socialis. Talis distinctio a clericis et sodalibus institutorum vitae consecratae sacrificium

notabile requirere potest, sed talibus in casibus saepe de ipsa libertate Ecclesiae agitur.

7) Laicis et maxime familiam habentibus, qui pro vocatione speciali habent praesertim, ut «*rerum temporalium ordinem spiritu evangelico imbuant atque perficiant, et ita specialiter in iisdem rebus gerendis atque in muneribus saecularibus exercendis Christi testimonium reddant*» (can. 225 § 2)⁵¹, securitas oeconomica et socialis magis praestanda est etiam quando munera publica in Ecclesia assumunt. Talia tamen munera, quando ut officia eriguntur, nec fundamentalia nec sacra dicenda sunt, sensu supra descripto. Propterea remissio ad ius civile in can. 231 § 2 contenta quoad officia laicalia pro recta et ordini systematico iuris canonici congruenti putanda est.

PETER ERDÖ

⁵¹ Cf. LG 31 b, AA 24; PAULUS VI, Enc. *Populorum progressio* 81: AAS 59 (1967) 296-297; Enc. *Octogesima adveniens* 48 b: AAS 63 (1971) 437-438; IOANNES PAULUS II, Adhort. ap. *Christifideles laici* 15: AAS 81 (1989) 415 etc.